


1864. v. 74.



4534

CIMELIA



~~xl. a. 11.~~

69  
BEE  
J.

CONSILIVM  
IN FEBRIBVS PESTILENTIBVS  
ET MALIGNIS,

his temporibus Cracouiæ, & aliis  
in locis grassantibus,

ANDREAE GRVTINII,  
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris.



C R A C O V I A E  
In Officina Lazari Anno Domini.

1 5 9 2.

69  
DEF

J.

23  
Alu

24

MILLIUM  
S...

...

...

*Cim. Qu. 454*

GRAVIA

...

THE



JACOBSON

ILL<sup>ri</sup> ET R<sup>do</sup> DOMINO  
D. IOANNI TARNOWSKI,  
Procancellario Regni,  
Ecclesiarum Cathedralis Crac. Vladislauien.  
& Lancicien. Præposito.

*Domino & Patrono suo obseruandissimo,*

ANDREAS GRVTINIUS

*Philosophiæ & Medicinæ Doctor.*

S P D.



Empeftas maris fubita & impro-  
uifa , Illuft. & Reueren. Domine,  
folet aliquando nauigantes ve-  
hementius cõturbare; fingulosq;  
interea tēporis ad aliquid agen-  
dum & prouidendum excitare : ne ignauos &  
ofcitanes aquæ abforbeant, cùm minimis mo-  
mentis maximè inclinationes nauium fiunt. non  
minorem diligentiam & prouidentiam cupe-  
rem ego ab hominibus fieri in hac calamitate  
impendenti , & morbis perniciofis ingruenti-  
bus, qui opprimunt iam multos antequam eos

A 2                      explora-

*Præfatio.*

explorare atque prospicere iis possit. Quare communi utilitati consultum esse volens, in hoc veluti communi incendio, quid faciendum nõ faciendumue sit, ex decretis & præceptis diuini Hippocratis & Galeni, adducendum in medium iudicaui. Melius enim curari ea, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur, certum est. sed vt maiorem commendationem apud plurimos meæ lucubrationes & decreta hæc summorum in Arte Medica virorum obtineant, Illustri nomini tuo ea inscribenda meritò duxi: quoniam loco Illust. & Magnifici olim Andreæ Comitis à Tencin, Palatini Cracouieñ. mei quondam Patroni, Deus Opt. Max. te alterum Mœcenatem nunquam satis admirandũ, suspiciendum, & laudandum, benignè mihi cõcessit: cuius magnitudine animi, & consilij, virtutibusq; omnibus tanquam mœnibus septi & exornati, omnes ferè recreantur, mirificeq; delectantur. Lux est exorta & oblata Reipub. aiunt, cùm te præstantissimum ciuem, cõscendisse primos gradus honorum cernunt,

*Præfatio.*

nunt, ex quibus etiam maiores tui, propter multas & magnas Reipub. summa cū laude & felicitate nauatas operas, omnium prædicatione, magnam gloriam, & summos hac in Reipub. honores sunt consecuti. Vnus ex multis & propè innumeris nominandus, & nullo pacto prætermittendus mihi est, Illustris. & Reuerendissimus olim Ioannes Prerembius Archiepiscopus Gnesneñ. qui qualis fuerit, quàm omnibus virtutibus instructus & ornatus, silentio prætermitto; ne, si pauca adduxerim, amplitudini laudum eius, quæ in mentibus adhuc quorundam sitæ sunt, aliquid imminuere videar. Cuius tu exemplo, instructus & sepe magnis virtutibus ingenij, doctrinæ, consilij, humanitatis, iustitiæ, æquitatisque omnis ad Reipub. accessisti; in qua ita versaris, vt maioribus te dignum omnes iam animaduertant, superareque multos, non dubitant. Quæ virtutes magnæ, & labores indefessi à prima vsque ætate in aula Serenissimorum Principum cum laude semper suscepti, plurima ornamenta magnos-

*Præfatio.*

que honores tibi attulerunt, maioresq; indies  
afferent; licet cum inuidia quorundam, quæ ta-  
men cum virtute parta sit, gloria non inuidia,  
putanda est. Cæterum, ne diutius tuas occu-  
pationes morer, authoritati, patrocínio, ac be-  
neuolentiæ omni, me, meaq; studia diligentif-  
simè commendo. Deus autem Opt. Max. te  
saluum incolumem, tum Ecclesiæ Dei ac Rei-  
pub. tum etiam Academiæ nostræ diutissimè  
conferuet. Cracouiæ è Collegio minori 3. Calé.  
Iulij. Anno Domini. M. D. XCII.

MAGNVS ES INGENIO, VIRTUTE, ET  
REBVS AGENDIS

TARNOVI, MAGNVS CONSILIOQVE  
BONO.

HOS ERGO MERITO TIBI REX CON-  
CESSIT HONORES,

MAIORESQVE DABIT, CIVICA SIT  
MODO PAX.

CONSI-

# Consilium in febris

PESTILENTIBVS ET MALIGNIS,  
HIS TEMPORIBVS CRACOVIAE, ET  
ALIIS IN LOCIS GRASSANTIBVS.



*P*ransacti iam sunt non pauci dies, ex quo febres pestilentes & malignæ, post constitutionem Veris ferè squalidam, frigidamq̃ & humidam, multis in locis, & hac in vrbe, his pluuijs statibus oboriuntur. quibus febris succedunt, deliquia animi, insomnia praua, imagines; in corpore verò maculæ, morbilli; aphtæ in oris puerorum, bubones, parotydes, vrinæ prauæ & variæ, deiectiones biliosa & fœtida; quidamque huius correpti intra primam septimanâ moriuntur; aliqui etiam seruantur, sed pauci. Vnde magno timore plurimi ac ferè omnes affecti & perculsi sunt, pestemq̃ esse, vel iâ iam ad se multi existimant & vehementer timent; dum memoria repetunt, quanta mala superioribus annis sunt perpessi, quot hominum millia per diuersas regiones & ciuitates duabus illis pestilentijs fuerunt absumptâ. Quo in periculo & graui timore perturbationeque tanta, munus Medici generosi & non Empirici esse existimaui, hominibus sic animo conturbatis ex ipsis penetratibus artibus Æsculapiæ, ea in medium de his morbis proferre, quæ possent vel eorum opinionem iustam confirmare (& sic facillè cautos & diligentes à morbis & periculo vindicare, aut saltem præcauere) vel si etiam plus esse timoris & rumoris, quàm periculi deprehendetur;

hendetur; vt deposito inani hoc rumore, rebus potius agēdis incumbāt, à vitijs sibi temperent, probamq; victus rationem instituant, ne in aliquo delinquant. Meditādum ergo & scribendum, sed quā breuissimè, causa publicæ utilitatis duxi; tum de cognitione harum febrium, tum de curatione earundem scopis propositis. non quòd tantam mihi doctrinam & experientiam longam arrogem, ob idq; auctoritate aliqua apud multos valeam; sed consultum esse volens imperitioribus, & tenuis fortune hominibus; cum doctiores & ditiores vetera & antiqua qualibet aspernantur, nouis verò inuentis mirificè delectentur, qualia me non posse adinuenire & excogitare libenter fateor: nihilominus tamen à præceptis institutisq; diuini Hippocratis & Galeni aberrare & recedere nolo.

Sumpto igitur exordio à natura & cognitione febrium & morborum horum, constat febres has esse de genere continuarum: quoniam semper in agrotis aliquibus reperitur calor præter naturam, & esse pestilentes & malignas, quòd non solum ex putredine, sed ex vehementi & insigni putredine, oriuntur, quandoquidem putrida à pestilenti vocata febre sine peste, maiori & minori solummodo putredine differunt, de quo inter omnes celebres Medicos conuenit, licet aliquas esse confusas, inconstantes, quæ typum certum non seruant, & circuitus constantes non habent, vt referri possint ad duplices Tertianas, non nego: malignas tamen multas esse certum est; quia & continua & acuta, & magna putredo in illis est, breuicq; tempore agunt, ob causas in agendo potentes malorumque omninò morum sunt, vel vt Galenus docuit κακωνθες morbos, id est, malignos appellamus, quicunq; periculum minantes spem salutis non adimunt: quandoquidem ijdem affectus aliquando sunt maligni, quandoque minus maligni, quod de sacro igne comprobauit Hipp. & Gale.

Gale. 3. in tertium de Vulg. morbis com. 9. qui erat excitatus ab humore maligno, qui eroderet putrefaceretque ab exuperante humida ventorum tranquillitate generatus, illis potissimum mortalibus, quibus cum sua ipsi sponte alijs essent biliosiores, etiam victus biliosum magis eis succum congesisset. Siquidem morborum differentia proficiuntur ab aeris circumflui temperamento, propter naturam cuiusque & victus, quem sanus seruat. Et com. 12. dicit: Quare nunc verisimile fuisse perniciosissimum eum carbunculum, qui vltra natiuam malignitatem etiam quam status adferbat, adiunctam haberet. Ex quibus verbis aperte constat, addere malignitati humorum (quæ ex succis pravis in membris coaceruatur) statum temporis pestiferum, vt malignissimi tunc morbi sint; adeo vt qui benigni sint morbi, tempore pestis reddantur maligni. Et ita sine peste dari febres pestilentes, malignas, dari perniciosas non est dubitandum: tempore vero pestis etiã simplicissima, benigna, fiunt maligna, ob morbosas causas & potentissimas in agendo certum est; quia facile vertuntur ad malum humores etiamsi boni sint: malignitas autem abundantis humoris ex magnitudine constat putredinis, vt aperte docet Galenus. Verum enim uero licet febres pestilentes sine peste inter malignas reponat Galenus; tamen nisi excitata fuerint à feruore caloris, non possunt esse omnes letales & vehementer maligna: quandoquidem causa corrupens seu feruor insignis, in talibus non aderit, qui colliquationem adipum & carniū efficiat: adeo vt inseparabile sit symptoma pestilentium febrium colliquatio carniū (quoniam ob crassitiem ad renes materia hæc non trahitur, nec per vesicam excernitur, sed per aluum, nec per sudores dissipatur.) quod symptoma apud Galenum multis in locis legitur, & præcipue cum dicat ex auctoritate Hippocratis: Lam etiam die eodem sexto agrum bili-

3. in 3. de  
Vul. mor  
com, 23.

3. in 3. de  
Vul. mo.  
com. 72.

osa atq; pinguia deieciſſe, quæ videntur aperte fundenti pinguedinem febrî eſſe conſequentia. & paulò poſt: Etenim ſi pinguedinem quandam habuiſſent vrina, quemadmodum & deiectiones, ſint illa cenſendæ quidem prauæ; at non omninò exitiales tamen, quòd non perinde ſit carnem colliqueſcere ac adipem. Nam calor eſt feruentiſſimus qui carnem fundit, moderatior qui pinguedinem, nempe & colliquationes quæ per ventrem excernuntur, putant Medici à pinguibus deiectionibus diſtare. In peſte quidem longiſſima noſtræ atatis colliquationis cuncti prope excreuerunt, quidam merè fuluas, quidam moderatius, omnes certè putidas: Hæc Galenus. Quæ ideò volui integra adducere, vt vnusquisq; poſtea animaduertat, etiam me tacente, quanam peſtilens febris dicenda ſit, quam cauſam habeat & originem, quibus ſignis ſuperuenientibus cognoſcenda, & quòd non eſt confundenda vt vulgus facit cum legitima peſte, quas quidem febres ſatis luculenter cùm in alijs tùm lib. i. de differ. feb. cap. 4. deſcripſit Galenus. In peſtilenti dicit àeris ſtatu inſpiratio plurimum eſt cauſa: ſit enim & aliquando ob eos, qui ſunt in corpore humores, ad putreſcendum paratos, cùm breuè aliquam occaſionem ad febris originem ab àere ambiente acceperit animal: magna autem ex parte ex inſpiratione incipit àeris circumſtantis à putreſcibili euaporatione infecti. Deinde putreſcentis àeris cauſas enumerat: nullam tamen cauſam dicit ſine patientis aptitudine agere poſſe; alioquin omnes circa Canis ortum ægrotarent, ac in peſtilentijs morerentur. Vnde frequenter dubitatur inter inſigniores etiam Medicos, an febris peſtilens fiat citra putredinem humorum: quia Galenus in libro de diffe. feb. & in 3. in 3. de vulg. morb. illius febris cuius præter àeris putredinem etiam maxima in humoribus putredo fuerit, procatarticam cauſam poſuerit, nimirum inſpirationè àeris putredinoſi

PESTILEN. ET MALIG. II

tredinosi, quam venenosam multi, alij occultam qualitatem di-  
 cunt. Vnde inferunt, etiamsi humores non inficiantur in mundis  
 corporibus; tamen spiritus & solida possunt infici ob veneno-  
 sam qualitatem, vt lib. 3. de præfag. ex pulsibus dicitur. Ete-  
 nim sunt, vt docuimus, pestilentes non paucæ inde vsq; ab initio  
 hectica, distantq; ab omnibus alijs febribus quæ ex magna pu-  
 tredine oriuntur. Contraverò qui sentiunt, euidentissimum lo-  
 cum habent Galeni. Quæcunque autem munda sunt ac super-  
 fluitatibus carent; nonnulla quidem nihil, nonnulla verò mini-  
 mum mali sentire; ita vt facile ad naturalem habitum habeant  
 regressum. Quo in nodo soluendo illud adducendum in præsen-  
 tia existimaui, quòd putridæ quandoq; incipiunt à causis proca-  
 tæcticis seu præincipientibus, ac manifestis externisq;, quæ do-  
 ctrina est Galeni i. de diff. feb. cap. 2. vbi dicit esse inseparabile  
 quidè indicium febrium Ephemerarum incipere ab aliqua causa  
 recenti, quæ ante præcesserit: indicium tamen earum proprium  
 non est: nam & aliarum quædam ex causa manifesta fiunt, quæ  
 antè præcessit, quales putridas esse censendum sine dubio est.  
 Cùm ergo quædam procatæctica sunt, quæ, cùm affectum indu-  
 xerunt, permanent: quædam verò à corpore recedunt, cùm affe-  
 ctus induxerunt, extendunt enim sese procatæctica cause ma-  
 gis quàm procatarchonda: & non pro eodem sunt sumendæ. vnde  
 de ijs procatæcticis causis intelligere Galenum in locis ci-  
 tatis superius existimandum est, quæ remanent post inspiratio-  
 nem aeris putredinosi; non autem de procatæcticis, quæ non re-  
 manent: ita, vt non sit proprium tantùm indicium febrium sine  
 putredine ab externa causa incipere. Caterum, etsi febres pe-  
 stilentes non paucas ab initio vsque esse hecticas, dicat illo loco  
 Galenus; tamen sine peste eiusmodi fieri, intelligendum est, de  
 quibus illic sermonem habet, cùm paulò superius eodem capite

1. de diff.  
 feb. cap.  
 4.

dicat. Sciendum tamen nonnunquam incidere sine peste has ipsas febres. Quare, ut redeam vnde diuerti, non est mirum, si post statum frigidum, & humidum, & propè squalidum atque vari- um, post multos errores in victu & potu, alijsq; rebus à Medi- cis non naturalibus vocatis, ab hominibus commissis, adiuncta et- iam in multis corporis partibus obstructione meatuum, & con- strictis ferè corporibus, maxime verò cruditatibus, & succis prauis & malignis, ex crapulis & ebrietatibus coaceruatis; tū  
 u. de rat. etiam per continuum ex alijs propinquis locis quædam putre-  
 vict. co. i. dinis fluxere contagia; & vestes, quæ superiore anno à peste con- taminatæ erant, in vsum repetitæ, in his quorum corpora erant ad patiendum parata, febrium harum malignarum & morbo- rum Endimiorum seu perniciosorum causa extiterunt. In hac autem vrbe præcipuè eo tempore, cùm ortus Caniculæ instaret: ortus enim astrorum, præsertim Caniculæ, cauere & obseruare debemus ex præcepto Hippocratis, Arcturi, Vergiliarumq; oc- casum, Solis mutationes, solstitiaq; præsertim æstiuæ, ac equi- noctium vtrumque, & autumnale potissimum; mala siquidem plerumque decernunt, cùm dictum est: Mutationes temporum maxime pariunt morbos; præcipuè verò nunc vnusquisq; ani- maduertit calidiorem ambientis aëris statum subito ferè mu- tatum, qui manifestè cor calefacit, & sic postea calorem feбри- lem corpora ad id præparata suscipiunt: quò fit, vt peticulæ, vt morbilli in ægrotis multis appareant, in quibusdam extra cu- tim erumpunt & eminent vt morbilli; in alijs verò intra cutim consistunt, vt potè peticulæ, quæ instar morsus culicum aut a- pum sunt, quæ tamen sub morbillis comprehendi debent, non sub variolis: in illis enim vtrisque sanguis magis corruptus est. Ex quo etiam iudicandum est, longè maligniores febres esse cum i- psis morbillis, quàm cum peticulis; quia facile ad malum ter-  
 minantur,

minatur, à causa vehementi sanguine, nempe corrupto magis; licet parvus dolor in dorso & principijs neruorum sit: non quemadmodum in variolis contingit ingens dolor dorso, quoniam paucus est sanguis; sed magis corruptus in peticulis & morbillis, Auicenna docente; & ideo non comprimuntur partes neruosa: in variolis autem, multus est sanguis copiosus, qui ebullitione excitata vasa replet, & praecipue arteriam & venam, quae per dorsum descendunt; funditur enim sanguis in variolis, & ebullit veluti mustum, cui Auicenna comparat (in quo sunt partes tenues & crassa, & aliae quidem ad latera vasis, aliae ad fundum decumbunt, vt notum est) & ita ampliantur & distenduntur vasa, & ad distensionem comprimuntur partes adiacentes, doloresque excitantur, quamuis calor sit mitis eorum qui variolis tenentur, non ponitur cor in calefacto esse, nisi errores contingant, sique excitantur febres, existimandum est, non ex ebullitione illa generari, quae est lenta molis sensim procedens, separans mala à bonis, & concoquens, transmittensque ad superficiem corporis: & si in pauca quantitate transmittantur humores icorosi ad exteriora; sit vt retenti putrescant, & morbilli ac peticulae generentur: nisi enim non putrescerent, febres non excitarentur: sique à vasis transmittuntur humores, fieri intermittentes, & Tertianas, apparentque aliquando peticulae in illis. si autem in venis magnis retinentur atque ibi putrescunt, febrem excitant ardentem, de qua Hipp. 4. de rat. victus acut; tractat. Sed tamen non seruabit exquisitam naturam febrium ardentium, sed tantum similem: quia in peste aegrotantes, soporosi sunt, quod est contrarium ardenti, sitis non excellens, nec delirium plerumque adest: at in ardentibus adsunt vigiliae, deliria, sitis quae non extinguitur. Vnde varia possunt esse causa & differentiae harum febrium & morborum atque symptomatum: deliria ob

Fen. i. de feb. tra. 1

acutas, ardentes febres: insomnia & vigilia, ob vapores prauos, qualitate & quantitate quandoque peccantes, acredinemq; ex putredine, sopores verò ab humiditate exuperante, vel frigiditate, caloresq; & sitim inexhaustam & vigilias efficiunt: peticula verò, morbilli, bubones, aliaque id genus, ob transmissionem naturæ, aliquando symptomatica, aliquando critica, aut decubitus concoctis humoribus crudis biliosisque. Non tantopere tamen timendum in curatione eorundem existimo; non trepidandum instar muliercularum imperitarum, & vulgarium medicorum in egressu peticularum, cum etiam in febribus tertianis solent aliquando apparere, vt obseruatum est à celeberrimis medicis, nihilq; periculi attulerunt, cum Medicum opportuna facientem nactæ fuerunt. Non est quoq; desperandum in febribus pestilentibus sine peste etiam cum morbillis, cum licet maximè lethales sint; tamen si non aderit colliquatio carniū, ob calorem & feruorem insignem, qui carnes fundat, sunt tales febres curabiles. qui si critici sunt morbilli, bonum erit: Crises enim magna ex parte terminatur ad bonum, & plures sanari quàm mori, nisi pestilens constitutio sit, sæpè dicebat Galenus. Sed quoniã peticula & morbilli non semper apparent in egrotis, illa quoque colliquatio carniū non subito venit, nec illa conuersio morbi ad malum statim adest; ideo etiam signa

1. Apho. Indicantia dicta sunt à Galeno, quæ post apparent, non autem  
 2. à principio. Nec eiusmodi affectuum firmam notitiam ex vrina  
 3. de præ sagiis ex semper petere possumus docente Galeno, sed est ferè anceps,  
 pul. ca. 4 colore & sedimento similis naturali. Ideo plebei & imperitiores, quorum causa commentatio hæc est suscepta, si nihil aliud, at expirationem egrotorum obseruent: quæ si foeteat, peiorem casum expectent. Os etiam attendant: quòd si illic aliquid coloris pestilentis cernant; eos peste laborare confirment: cum diffusum

PESTILEN. ET MALIG.

fusum per plures partes colorem erispelatosum viderint, ma-  
 num thoraci admoueant; ex acredine enim & specie caloris pe-  
 stilentia laborare & pessimè affectos esse, primis statim diebus  
 animaduertebat Galenus. Inspicienda porrò vrina, si nullum  
 sublimamentum innatare vrinis animaduertes; in peiorem sta-  
 tum hæc interpretari debebis: si contraria videris; non potest fie-  
 ri vt malè affectus homo sit. Hæc & alia multa Gal. optimè do-  
 cuit: quæ si obseruètur, & alia ex parte pulsuum, quæ medicos i-  
 psos concernunt, non est opus vt expectentur tremores manum  
 pedumq; & ferè totius corporis (iam enim isti ob imbecillitatem  
 virium fiunt) anxietas circa os ventriculi, angustia thoracis,  
 crebra spiratio, sitis vehemens, aliq; sæua accidentia non erunt  
 expectanda, cum fortè occasio agendi aliquid circa corpus a gri  
 amittetur. Sed si de prognostico ante curationem harum fe-  
 brium proferre aliqua voluerimus, quoniam non solum de  
 demonstratiuis signis dicendum est ante curationem, sed & de  
 prognosticis, & vt docebat Galenus, Munus Empyrici est tra- 3. Met. 1,  
 ctare omnes affectus, & ad curationem eorum accedere, ni-  
 si sciamus, vtrum sint curabiles. Si ergo præponerentur indica-  
 tiones prognostico, præponerentur quoque remedia curatiua; e-  
 tiam si nesciamus, an affectus curari possit vel non. Itaq; viden-  
 dum est, an futurae sunt hæ febres salutares vel lethales: an lon-  
 ga vel breues, quod quidem ex magnitudine & vehementia af-  
 fectuum & causarum ipsarum, ex copia symptomatum, viri-  
 busq; egrotantium desumi potest. Qua in re facitè equidem de-  
 cernendum est, febres has, quæ habent signa lethalia, in quibus  
 præcipuè est colliquatio carniū, esse valdè lethales: maxima  
 enim ex parte interficiunt: sicq; de continuis existimandum, vt 1. de vict  
 Hippocrates docuit. Proinde, quantum fieri potest euitentur, & rat. in ac.  
 occuratur ijs moneo: nam nobis non aduertentibus prauus suc- com. 1.  
 cus

2. de fa. *cus post longum tempus in venis colligitur, qui postea exiguam*  
 alim. *ad putredinem occasionem nactus, febres malignas accendit.*
1. de vul. *Contingit tamen (quod ex sententia Hippocratis & Galeni pro-*  
 mor. co. *fero) vt ob decubitus prauorum humorum ad partes ignobi-*  
 3. *les, seruentur aliquando ægri, quemadmodum in Herophonte*  
*tertio ægroto declarauit Hippocrates, in quo erant deliquia, ni-*  
*gra deiectiones, & alia praua accidentia; nihilominus in die*  
*sexto decubuerunt ad lienem prauis succi, & lien intumuit, &*  
*facta est distributio ad renes & crura, & præter spem serua-*  
*tus est, medicisq; paradoxa fecit. similiter & mulier, licet om-*  
*nia signa malum prætendentia habuerit, ob robur virium serua-*  
*ta est. sic virium robore euasit Heropitus ægrotus nonus, quam-*  
*uis grauissimo morbo oppressus, & signis præsentibus pessimis.*  
*Itaq; si illa sæua symptomata non aderunt, arbitror ego cura op-*  
*portuna à medicis adhibita seruari multos posse, non negans*  
*neque ignorans febres has & in peste fieri, & sæpe sine pe-*  
*ste, degenerareq; in pestem: interim tamen existimans (salua*  
*præcognitione aliorum) & breues fore, cum in aere ambiente ex*  
*benignitate diuina nulla pestilentia semina adhuc contineantur;*  
*licet sciendum est, si aer ambiens nos, humidior & calidior fa-*  
*ctus fuerit, qui pestilentem constitutionem inducere poterit, &*  
*alia tempestates erunt, vix nos fore liberos sequentibus tempo-*  
*ribus à peste; nam ad actionem & passionem tempus etiam re-*  
*quiritur. Verum ad scopos curatorios in his febribus iam venien-*  
*dum. Atq; prima est in omnibus & communis intentio secundum*
1. de dif. *Galenum, vt corpus quam maximè superfluitatibus vaccet atq;*  
 feb. ca. 4 *optimè spiret. Secundo loco, vt præpotenti causæ quoad fieri po-*  
*test aduersetur. Euacuandi ergo vitiosi humores, & reliqui alte-*  
*râdi sunt: quod enim putrefactum est, indicat sui remotionem, cum*  
*toto genere sit præter naturam; quod verò semiputre est ne pu-*  
 tredinem

tredinem perfectam acquirat, occurrendum est humores emendando, & præcipuè sanguinem, calidum innatum euentando & conseruando, conseruatur enim ex commercio àeris. Itaq; inhi-  
benda putredo, & inhiberi non potest Gal. docente, durante cau-  
sa eius: quare submouenda ipsius causa est. si non putredo ipsa  
primùm, mox febris sanari debebit, per pensis eorum, quæ in-  
dicant tum magnitudine tum dignitate. Atq; omninò non ad-  
modum diuersam esse curationem à putridis febribus ego arbi-  
tror, vt alij. cuius quidem putredinis causa, cum ex varijs gene-  
ribus oritur, & densatis exiguis meatibus, atq; constrictis cor-  
poribus, & humoribus tum abundantia, tum crassitudine, tum  
lentitia obstruentibus; singula harum affectionum curandæ per  
contraria sunt. Caterùm, ratione febrium nota est indicatio, re-  
frigerandum & humectandum, si reliqui scopi consentient. Ra-  
tione verò virium, quæ corpus regunt, indicatio est, vt integra  
conseruentur, maximè in his febribus pestilentibus: siq; infirmi-  
ores erunt, cautiùs vacuantia remedia administranda: vel si in-  
anita erunt vasa ob euacuationem aliquam; tum per alimenta  
reficiendæ & restaurandæ: si verò vi symptomatum imbecilles  
erunt; tum cibi partius exhibendi. Iam à tempore nullam indi-  
cationem oriri docuit Gal. 4. Met. ca. 4. Extrinseca verò si of-  
fendunt, remouenda erunt, demonstrabuntq; nobis auxilia. Illis  
ergo, qui nondum febre vlla tentantur, impura tamen corpora  
habent, & superfuitatibus plena, pestemq; futuram timent, huc  
scopum propono, & consiliùm illud Galeni, non meum, diligen-  
ter commendo; vt statim ab initio corpora humida omni via ex-  
siccare conentur: quæ verò sicciora sunt, antiquum habitum con-  
seruent: & in quibus superfuitates redundant, purgationibus  
sanent, obstructions aperiant, densitatemq; cutis rarefaciant  
& abstergant; hoc tamen faciãt adhibitis rationalibus medicis,

ii. Meth.  
cap. 4.

Gal. do-  
cente.

i. de diff.  
feb. ca. 4

non Alchimis, aut stolidis chyrurgis: sic enim Galenus faciebat in corporibus humanis, prauidens pestem futuram. Itaque ad ipsos scopos explendos, prouisione totius corporis habita, generose accedendum erit, conandumq; , vt citò, tutò, & iucunde de asequantur: maxime enim medicum laudauero, dicebat Hip. qui in morbis acutis, vi, quorum plurimi hominum enecantur (secus quam ceteri) in melius procedat. Ergo praestantissimum auxilium ex fonte chirurgico venae sectio, si aetas & robur virium permittent, vsurpandum erit: cum nihil melius est, quam secare venam, leniti aluo primo quoq; tempore in huiusmodi febribus, etiã si incipiant oriri morbilli, modò adsit copia sanguinis in egrotis. nec erit vllò pacto praetermittendum hoc praesidium, cum apud plurimos medicos mos iã inualuit, vt nò mittatur sanguis, secta vena, adeò vt etiam homines timeant missionem sanguinis: quia medici quidã sic statuunt cõtra tam salubre remedium, & infamant auxilium hoc praestantissimum, cum tamen Galenus tutissimam venae sectionem iudicat. Sed necessarium est paucis eorum rationes videre: adducunt isti, qui in morbillis aut peticulis erumpentibus non audent mittere sanguinem locum ex Auicena. I. Fen. Tract. 4. cap. 10. Et forã esse phlebotomia est mala, propterea quia repellit & conuertit illud quod procedit, quare caueatur post duos dies aut tres. Tum ex eodem auctore, quia sanguis in morbillis paucus est, & maior corruptela in illo est quàm in variolis: ergo non est detrahendus sanguis. Tum ex Aetio quaternionis secundi, Serm. 1. cap. 129. vbi dicit: At verò pustula vibices referentes curentur, venae sectione in principio, si nihil impedierit: solent enim reuerse intra corpus periculum afferre. si non per vomitus, per aluum acrimonia secedat. Et paulò post: Ceterum, in pestilentibus & carbunculosis, venae quidem sectionem adhibemus statim in principio, non autem  
cibi

cibi contractionē. Quare difficultas ista videtur solvenda: Et primum quod attinet ad paucitatem sanguinis, cum Auice. dicat paucum, non absolute loquitur, sed comparatione variolarum: scribit enim cap. 10. Et similiter si morbillus fuerit cum repletionē sanguinis, & spatium illius usq; ad quartum: vel si etiam absolute dixisset; non debemus tamen desistere à venæ sectione, cum libro de curandi ratione per venæ sectionem ca. 8. & alijs locis, in paucosanguine venam secuit. Galenus per epicrasin, partim euacuando secta vena, partim nutriendo. Quod verò Aëtius dicit, secanda est vena ab initio, ne quod fluit extra, postea retrocedat & mortem inducat. Auicenna autem dicit: Et fortasse phlebotomia mala. &c. Conciliari facile potest hæc contradictio: quia aliud respexit Aëtius, aliud Auicenna. Aëtius nempe mittendum esse sanguinem ab initio censuit, ne opprimatur natura, & ad expellendum extra noxiam materiam sit ignaua, torpida & imbecilla ob copiam, & sic non sequatur expulsionem, siq; detrahetur sanguis, non erit timendus retrocessus. Auicenna verò considerauit largā & completam missionem sanguinis prima vice, quam malam fortasse dicit ob timorem retrocessus; vires enim possunt prosterni larga & non auara missione sanguinis à principio; proptereaq; non poterit natura expellere id quod cœpit, & sic timendus retrocessus. Vnde initio cap. 10. phlebotometur quantitate, id est, vt in margine legitur, alleuiet & minoret. Quare prima vice pauca sanguinis missio debet esse, sed in secunda & alijs, interpositoq; omnino spatio, ducendum etiam corpus attento robore virium; quandoq; ad deliquium animi, vt quod retrocessit euacuetur, & sic nullum nocuum erit, etiamsi vires non constent, cum per vices sanguis detrahetur, ante quartum scribit Auicenna: sed Hippocrates etiam & octauo Anaxioni cubitum secuit, quamuis hoc rarum.

3. in 3. de  
vul. mor  
79. co.

*Et Galenus in commento dicit: Hippocrates facit mentionem non vt solo cui sanguinem misisset; sed vt octauo die solo. Nam tum etiam medici quasi lege certa vltra quartum diem venam non secabant. At plebei dicunt, est corruptela humorum, propterea vires imbecilles: cum tamē cum corruptela humorum potest esse robur virium, vt saepe adest; non enim pulsus est celerior in contractione, quā in alijs putridis febribus: & sanguis quandoq; est corruptus parum, vt Gal. docet, quandoq; multum. si parua est corruptela, poterit corrigi; si magna, tum opus est vt remoueatur; vel si ebullitio est sanguinis, vt non omninō remoueatur & tollatur, sed attemperetur. In pauco autē sanguine, quid faciendum & pueris quæret quis? Recurrendum scilicet ad analogum aliquod missionis sanguinis, qua de re agit Gal. lib. 4. de tuend. sanit. ca. 4. vbi ostendit qui humores exposcant, & qui recusent sanguinis missionem, & quid vicem sanguinis missi obire queat; Sanificando supra maleolos, prouocando menses, vel hemoraidas, cucurbitas scarificatas affigendo lumbis, non autem spatulis aut cruribus; quia sunt remotæ admodum partes ad reuulsionem: spatulis verò & dorso si affigerentur, trahent in cavitatem thoracis & pulmones, nisi ante totum corpus benè purgatum sit. Sed eligenda potiùs scarificatio est, quæ etiam supra maleolos olim consueta erat: quia mensium prouocatio mulierū est, & per hemoraidas non asuescenda natura vt euacuetur, neq; satù tutum præsidium: timendum enim est ne nimium sanguis euacuaretur, vel non cesset ante necessitatem, & ita vtrumque extremum; excepto tamen illo si adsit consuetudo huic euacuationi. De vesicantibus nihil scribere volo, sequor enim hac in re, vt in alijs meos præceptores, qui satù argutè damnarunt eorum abusum, & eos quidem honoris gratia nominare volo, Excellentissimus & doctissimus olim Bernandinus Paternus, primarius*

marius Medicinæ Theoricæ Academiæ Patauina professor, qui sua atate lux Medicorum erat. Alter verò nunquam satis laudandus Excellentissimus & doctissimus D. Alexander Massaria, primus practica Medicinæ Professor, qui luculenti satis sua disputatione, quam hoc anno edidit de abusu vesicantium, & Theriacæ in febribus pestilentibus, sustulit iam propè hunc abusum. Quare ad aliud præsidium ex fonte pharmaceutico me cõfero, in quo breuis ero, cum ea præsidia tam simplicia quam composita, tam interna quam externa, & alexipharmaca, facile apud authores inueniri possunt, vsus tamen & delectus eorum non item. Si ergo non fuerit materia vincens sanguinea, vt Auicenna dicit cap. 4. sed humores; tunc euacuentur secundum primum scopum propositum, non quidem protinus & completè: raro enim turgent humores, optime dictum est ab Hippocrate. In quibus etiam vt iubet Galenus, si turgent, attenuantibus & præparantibus nacta occasione breui mellicrato, in quo origanum, vel pulegium sit decoctum, aliq; id genus. Tum quia docuit Galenus, in diuturno illo morbo pestilenti sui temporis, eiusmodi prauorum humorum purgationes, initio nunquam ad bonum factas esse; sed tantummodo post vigorem, tunc natura superuacanea expurgante. Vtilissimum ergo est in his febribus & morbis ab initio, vt sit lenis aluus, ex sententia Auic. neq; primis diebus adstringi debet, quemadmodum vulgus medicorum facere in his febribus sæpissimè solet, adhibendo succum limonij, succum citri, succum agrestæ, succum granatorum, succum mori, aquam acetositate, limoniorum non salitorum, quæ sunt stiptica & adstringunt, etiamsi refrigerant, nihilq; aliud cogitare videntur nisi de exsiccantibus, cum tamen primis diebus seruanda est lenis aluus: pro qua re enumerat Auicenna. Iuiubas, Tamarindos, aquam melonum, cucurbitarum, emulsionesq; seminum, portu-

Fen. 1. Tract. 4.

Sectio. 1. Aph. 24

laca, endiuia, quæ & refrigerant, & leniunt: serum quoq; caprinum acidum, Auenzoar probat lactucas, Arabesque vtuntur ficibus, maluis, radicibus apij, faniculi quæ non irritant naturam ad intempestiuam expulsionem, ex qua vires imbecilles sequuntur; quoniam bonum cum malo expellunt; quod nondum à natura separatum est; illi autem irritant naturam ad Crisim intempestiuè faciendam, vt ante tempus expellat & præueniat Crisim: qui error damnatus fuit à Galeno 3. de diebus decretorijs cap. 8. præuenire Crisim dicebat Hippocrates, quasi dicas prærûpere, appellare consuevit, malum est. Probatur ergo inter medicamenta lenientia Cassia cum Thamarindis; quia ardori interno & putredini resistunt: Cassia verò educendo calidiores humores, & refrigerando iuuat, est que diuretica, corrigendaq; propter status quos excitat seminibus anysorum, scordeum puluerisatum, aliaq; id genus adiugenda. Manna in his febribus non videtur conuenire, in quibus tenues & biliosi humores redundant, illa autem viscidos & crassos solet educere. Quare non desunt alia lenientia, & confectioes lenitiuæ, v. g. Diaprunis lenitiuum, Diabesten lenitiuum, Diacassia lenitiua, cum sena & sine sena, Diacatholicum electuarium lenitiuum, aliaq; quàm plurima: sicq; seruata aluo leni à principio, tum temporis conuenient, quæ aluum retineant, & cohibeant fluxum; alias enim periculum esset, ne morerentur excitato & durante fluxu ventris: illa ergo superius nominata tum temporis vsurpanda, tum & alia: Syrupus de acetoso simplici, Oximel simplex, Sy. rosatus recens, Sy. de succo acetosæ, de succo rosarum, de succo acido Citrij mali, Syrupi de Cichoreo, de Endiuia, de Sonthode, Portulaca, de Ribes, & similes alij, cum decoctionibus acetosæ, Pentaphili, Endiuia, Capillis veneris, Bethonica, seminibus Citri, & alijs plurimis. Verùm loco Syruporum horum vulgariu m

garium, qui præparantur cū melle, aut saccharo, facileq; vertuntur in bilem, quidamq; cum aceto, quidam sine aceto, satius est vtendum solū decoctis ex simplicibus herbis & radicibus; Cichorea, Soncho, Endiuia, Tormentilla, seu pentaphilo, Scordeo, & id genus alijs: quibus si videbitur propter maiorem adstrictionē addent portulacam, plantaginem, semina acetosa, Citri & milia. Præter omnia autem familiariter vtendum esset succis densatis ad solem, quales sunt succus Cichorei, Endiuia, Pentaphili, Acetosa, Sonchi, quibus commodè permisceantur alia medicamenta, vel simplicia, vel composita, semina odorata, species Diarhodon, species Triasandalorum. Qui quidem possunt opportunè exhiberi, vel soli, vel simul cum aliquo iure, aut decocto mane & vesperi loco syrupi. Suo autem tempore, cū opus fuerit, licet etiam vti Coralijs, Margaritis, Cornu cerui vsto, Bolo Armeno, Terra Lemnia, Diambra, & alijs propè infinitis, quæ adstringendi & siccandi vim maximam habent, ex quibus etiam trochisci & pulueres, & electuaria possent confici. Trochisci que de Camphora mirificè in his febribus & morbis laudantur ab Auicenna, & nescio cur non sunt in vsu. Atque interim naturæ motum & conatum obseruare debemus, & roborare virtutem, si non constant vires, & Besaarticis vti, & quæ ducere oportebit, hoc est, quæ neq; indicantur neq; indicata sunt integræ, per conuenientia loca purganda & ducenda erunt conuenientibus purgantibus medicamentis. Symptomata autem ad ablationem causæ facile tollentur, & abscessus facilius curari poterunt, si in ignobilioribus partibus erunt. Quare finem faciam, cautionem tantum Galeni de victus ratione adducens, quod in omnibus febribus, etiam paruis, magna cum cautione victus ratio statim sit præscribenda, qua in re sagax debet esse medicus: in febribus enim continuis dicit Galenus,

quæ vltra

lib. 1. de  
vul. mor  
co. 3. æ-  
grot. 12.  
1. ad Glau  
ca. 13.


465


12

quæ ultra septimum diem non progressura sunt, si vires valeant, atas consentiat, tum admodum exquisitus, & tenuis vietus est instituendus. Quibus verò vel status totius morbi ultra septimam, vel vires inualidæ, hi ab initio solidiori cibo sunt reficiendi; propè verò statum tenuiori, in statu tenuissimo. Secti. 7. no enim robur, dicebat Hippocrates, agroto verò morbus est: Aph. 65. quantum enim iuuant alimenta vires, tantum obsunt morbo & materia; quia eodem tempore non potest coquere natura & alimenta, & materiam; distrahitur enim à cōctione morbi & humorum. Quare si imbecillitas sequitur vasis inaniti, ob prægressam aliquam euacuationem; tum cibus sunt restauranda vires: si propter vim morbi & symptomatum vires imbecilles erunt; tum subtrahere cibos debemus, quia augetur morbus, vires debilitantur. Nutritione aucta; abstinendum ergo tunc à Capponibus, pullis, siue contusis & restauris, atq; iusculis pingui- bus; qui error, & alij infiniti, circa corpus aegroti, solent cōmitti; cum munus medici est dicebat Galenus, errorum, quæ circa agrum contingunt, correctiuum.

F I N I S.








Biblioteka Jagiellońska



stdr0029244





Georg Meier